



~~111~~ EX BIBLIOTH.
 NATIONIS HUNGAR.
 VITEBERG.

11-17

SIGNAT. ciioCCCCXIII.

einzelne verzeichnet 17. III. 1915.

* ex Ex Libris M. 1. 1—7.
 Viteb. 1683.
 + ex Sp. LXXXIII. 25. 26
 ex W. XCIX. 6.

7. F. M. Seben kirchmajsai de Flaminante curia Elis
 ex 2. Reg. II. Viteb. 1687.
 + Stadel was Jo Christoph Wismarschen.
 F. 2. Egidius de eodem Viteb. 1710.
 4. Praxide Anthona seuuero. Viteb. 1680.
 * Leg. J. G. Christoph's Sille Hany.
 Jo. Georgen.



45

tt) 49.

כנלדו

DISPUTATIO PHILOLOGICA,

DE

VITA DANIELIS,

QUAM

Benivolo SUPERIORUM Indultu

Publico exponunt Examini

PRÆSES

M. JOHANNES GEORGIUS
BITTELMAIERUS,

ET RESPONDENS

AMADEUS SUEVUS,
LINDAVIENSES,

Ad Diem

ANNI M. DC. LXXVI.



WITTEBERGÆ,

FORMIS JOHANNIS WILCKII.



12

DISPUTATIO PHILOLOGICA
DE
VITA DANIELIS

Benivolo Superiorum Indulto

Publico examine

PRESSES

M. JOHANNES GEORGIIUS
BITTMAYERUS

RESPONDENS

AMADEUS SUEVICUS

INDAGANS

ANNO M. DC. LXXVI

WITTEBERGAE

WITTEBERGA

THOMAS JOHANNIS WILCKE





בהנוא

Maledictio Judaica est, *יְמַח שְׁמוֹ* deleatur nomen
 ejus; quâ non tantum inter se in sua gentis male
 feriatos utuntur Apella, sed multo maximè in Chri-
 stianos, quin & in ipsum Christum, cujus nomen
 proinde nunquam integrè appellant *ישוע*, sed *ישו*
 idq; per mysterium hujus blasphemæ imprecationis.
 Idem de Daniele, si non aperte fateantur, tamen
 sentire in aprico est, dum illius Prophetiam non *הנביים* judi-
 cant annumerandam, sed perfidiâ & iniquitate, dum ipsorum impie-
 tati & inani expectationi de futuro Messia, pleno ore contradicit, in-
 ter *כתובים* referunt: cum tamen futurarum rerum predictio-
 ne, si non primum sibi inter Prophetas vendicet locum, postremum
 hæud mereatur. Quapropter missis Rabbiorum Execrationibus me-
 rito divinum hunc Prophetam ejusq; scripta summè veneramus, &
 de iis pauca meditari opæ pretium cernimus. **JEHOVA ELOHIM
 JUV A!**

§. I. Operosi sunt Interpretes in Danielis Vita ac Natalibus
 describendis, licet non rarò conjecturis errent, atq; fallantur. E-
 piphanius quidem *heres. 55.* Parentem nomine Sabaam Danieli
 assignat, Patriam Dorotheus Bethoron superiorem in sorte Ephra-
 im juxta Emaus, & Ignatius *Epist. ad Magnes.* duodecennem fuisse
 cum captivus abduceretur, refert: Verum conjecturæ sunt, quæ
 afferuntur, ex quibus vix certi quicquam concludere licebit. Illud
 interim nobis extra controversiæ aleam positum est, Danielem
 tum ab illustri inter Judæorum Proceres familia oriundum esse,
 atq; ex ephebis vix excessisse, cum exilio mulctaretur.

§. II. Binominem aliàs invenimus, *Danielem*, & *Baltassar-
 rem*: *Daniel* proculdubio fuit vocatus in circumcissione, *Baltassar*
 vero

verò in exilio à NebucadNezare. Illud nomen Origine Hebraica notat *Judicem Dei*, à rad. דן *judicavit*, & nomine אל *DEUS*: Hoc, ut paulatim omnis memoria veri Dei ac Patriæ ex animis deleteretur, à Chaldaico Imperatore juxta Deastros suos erat impostum Baltassar, q. d. *Beli recedens Thesaurum vel arcanum*, componiturq; ex nomine בבל *nomen Idoli Babylonici*, & verbo אשר *asseruavit*, ac nomine אוצר *thesaurus*.

§. III. Interim utrumq; & nomen & omen erat, qui Reges suos & judicavit & eorum Idololatriam manifestavit, de quo etiam DEUS judicavit benignè: Initium Judicii erat Schola Babylo-nica, quam jussu Regis cum sociis assiduus frequentavit, tantosq; in eo fecit progressus, ut Sapientiâ vel Sapientissimos superaret: Scil. ita suos Deus ornat donis, qui sincero corde eum timent, ejusq; præcepta observant. Disceptatur verò inter Eruditos, quibus studiis Daniel potissimum incubuerit? Discere debuisse *Linguam Chaldaicam*, omnes ambabus concedunt manibus; Multi tamen eò abeunt, ut eandem cum Ebræa statuunt, quod verò è diametro sacro repugnat contextui, qui Daniele jam calluisse Ebræam haud obscure innuit: Interim inficias non ibimus plures Linguæ Chaldææ apud Scriptores exstare dialectos, & magnam cum Hebræa ut Matre, præsertim quæ pura est, fovere convenientiam.

§. IV. Doctus ita Daniel non Ebræo, sed Chaldæo Idiomate, Regis sui spem nequaquam fefellit, sed examine, ad quod forsan suos Rex invitavit Sapientes, instituto talè se præstitit, qualem haud optasset: unde ne unum quidem posse Eruditione, Sapientiâ, aliisque præclaris sublimioris Ingenii dotibus cum Daniele comparari, non tantum Aulicis muneribus dignum censuit, sed & confestim suam ipsi functionem assignavit; quam etiam ita exornavit Daniel, ut toti Aulæ pulcherrimum esset Decus, Regiq; ipse Deus. Quis enim NebucadNezari abstrusissima duo somnia exposuisset, nisi adfuisset Daniel? Hic solus sibi, Sociis, Magisque servavit vitam; hic etiam solus acu tangebatur futura *de summis quatuor in Mundo Monarchiis earumq; duratione, de Messia nascituro, ac de Regis è Solio deturbatione ac iterum evectione*: Unde Rex tanti Viri prudentiam admiratus, coram eo etiam procidit.

§. V. Nec

§. V. Nec tantorum ipsius beneficiorum obliviscebatur, dum eum super omnes Provincias Babylonis, ut & super cunctos Sapientes Principem constituat: Paucis quidem maximorum, Danielis Honorum meminit S. Codex, satis tamen emphaticè; & munera à Nebucadnezare liberali manu collata, quanquam nominatim non exprimantur, sic tamen à Daniele commendantur, ut cuivis abundè possit constare, illa fuisse & multitudine & pretio longè amplissima. Pollicitus siquidem fuerat Rex Chaldaorum Magis, si in somnio interpretando votivam sibi operam posset navare, profusissimas opes & amplissimos honores: utrumq; hîc consecutus legitur Author noster, & quidem eâ ubertate, ut præstatio promissorum fidem multum excedere videatur. Erat autem geminata Dignitas ejus; altera *Politicum munus*, dum universa Provincia Babel, Imperii Chaldaici Cor ac Regia sedes, illi traditur administranda, ita ut in Aula esset Princeps, Regi proximus & intimus: Altera *Functio*, ut ita dicam, *sacra*, quâ Collegii Sapientum Præses ac Præfectus designatur. Nec deerant rationes, quæ Regem huc creduntur instimulasse: Daniel enim integrum triennium præstantibus Magistris traditus, Chaldaorum disciplinæ addiscendis fructuosè impenderat, stupendi præterea in hoc studiorum genere profectus ea dederat specimina, ut omnes Chaldaorum Sapientes longe post se relinqueret; Imò quod palmarium erat, somnii præsentis judicium & interpretatio, ubi frustra exercuerant industriam suam Chaldaorum Magi. Non igitur mirum, si illa ei Provincia assignatur, quæ & nobilissima habebatur, & illius operâ necessariò indigere est visa.

§. VI. Per *Sapientes* autem *Babel* intelliguntur hoc loco, prout & aliàs communiter, omnes illi, qui Humanitatis & Artium secretiora studia tractabant & profitebantur, sive essent *Astrologi*, sive *Magi*, sive *Præstigiatores*, sive *Chaldaei* speciatim dicti, sive *Haruspices* &c. qui omnes ac singuli communi appellatione *Sapientes* nominari solebant. Quid verò vox *ܠܘܘܢ* propriè significet, adhuc sub Judice lis est: Communiter alias *Astrologos*, ut Pagninus, Vatablus, Tremellius, Polanus &c. eandem exponunt, ac si descendat ab Ebræo *לשון* *Crepusculum*, quod hoc imprimis tempore Cœli Temperiem Astrologi observent. Quid sit, ta-

nam indubium est, hoc loco eos denotari, qui inter omnes Chaldaeos reconditori Sapiaentia, imprimis autem Scientiæ Astronomicæ peritiâ ex celluerunt. Tantis ergo Viris præponebatur Daniel, ex quo divina ipsius Sapiaentia, supersticiosâ tamen Magiâ hic meritò exclusâ, facilè æstimari potest; quin non tantû hisce, sed ipsis etiam *Antistitibus*, quibus reliquorum suprema Inspectio fuerat hætenus demandata.

§. VII. Verum non diu Daniel tantis in honoribus emicuisse videtur, cum tempore Belsazaris nemo præter unicam Reginam sive inter Regni Proceres, sive inter Sacrorum Antistites, quorum Collegio tamen diu fuerat Præfectus, sit repertus, qui Danielis beneficia in memoriam Regi potuisset revocare: præsens igitur Regina, reliquis Magnatibus sive livore & malitiâ, sive oscitantia, rerumq; in Patria gestarum incuriâ silentibus, sola hîc sapere deprehenditur, ut quæ Regi hunc indicarat, qui *solus scripturam longe abditam* legere poterat. Quod verò Chaldæi voces literis, quantum iudico vernaculis conscriptas, legere non potuerint, monstro simile videtur, imprimis cum Sapiaentiæ Professores essent, & qui easdem literas alios edocerent. Multi volunt Scripturam hanc verè non extitisse, sed tantum in Phantasia Regis, unde ab aliis non esse visam. Nonnulli respondent, peregrinas hæc fuisse literas, extraordinarias & insolentes. Lyranus censet, literas fuisse Ebraicas, Chaldæis omninò ignotas. R. Saadias arbitratur, literas vel mutatas fuisse vel transpositas, & hac de causa impeditos fuisse Sapiaentes, quo minus Scripturam in pariete legere potuissent. Massæ Ben Israel videtur hoc modo in pariete depictam:

ס	ו	ת	מ	מ
י	ם	ק	נ	נ
י	ר	ל	נ	נ

Maldonato verisimilius est, literas tantum initiales singulorum, verborum fuisse scriptas מ · ת · מ Verum argumenta hætenus adducta nullius ferè ponderis esse, vel quilibet animadvertit: Igitur si cuilibet subsequens ratio non ad palatum videtur, scriptas fuisse solas literas consonantes sine punctis sineq; vocalibus, unde Chaldæos nesciisse, quæ hîc Vocales essent substituendæ, an legendum

dum *mané*, an *mina*, an *meno*, an *tekel*, an *tokel*, an *takal* &c. & licet potuissent legere, interim non potuissent inter se connectere, ut sensum aliquem commodum & certum elicerent, praesertim quia singula verba per integram sententiam explicanda erant: tamē huic accedat putamus, Glaucoma Sapientum oculis fuisse, objectum, quo minus quam caelestes digiti in pariete expresserant Scripturā, legere potuerint, ut Deo Danieliq; haec gloria servaretur. Unde etiā Daniel, uti in prioribus fecerat interpretationibus, Deo soli tribuit gloriam, Regi verò suum indigitat eā nocte interitum: qui nihilominus Daniele publicā Praeconis voce, tanquam qui Regiae Voluntatis interpretis fuit, *Tertium à Regia dignitate* proclamari jubet.

§. VIII. Sed quis putasset, everlo Babyloniorum Regno Daniele in Regia hac Dignitate diu conspectum iri, nisi divina eū evectum voluisset Providentia: Sive n. cum LXX., Vulgato, Vatablo, dixerimus Danieli *inter Triumviros locum* à Dario esse assignatum, *nullo habito ordinis respectu*; s. cum Tremellio & Polano *primū tam eximia dignitatis gradu* Darii favore Danieli tributum asseramus, neq; in vocem ΓM , quae hic loci ponitur, neq; in subsequentiā errim⁹ injurii. Nec in dubium vocamus, quin Daniel tum ob stupendam in rebus abstrusioribus investigandis solertiā, tum quoq; ob illustrem Reipublicae Chaldaeorum administrationē famā suā prout Chaldaeam, ita longē distitas Regiones compleverit: Non igitur mirum exploratas omnibus Danielis dotes non solum Dario innotuisse, verum etiā ut Daniele tam illustri mactaret honore animum illius impulisse. Sed uti umbra sequitur Corpus, ita Invidia Virtutis individuus Comes: Postquam enim Satrapae animadvertenterent, se à Daniele longissimē superari, amicē cōveniunt, e medio tollendum; quemq; aperto Marte aggredi non audebant, actis occultē cuniculis pessundare conantur. Insidiae ex voto cedebant, exulabat Danielis Pietas, invito licet Rege, & non parum cōtristato ad Leones mittitur: Verū tandem bona causa triumphat, dum Deus misit Angelum, qui conclusit os Leonum. Porro Daniel prosperē agebat in Regno Darii & in Regno Cyri Persae, quādiu vivebat.

§. IX. Et huc usq; Daniel Natales suos, exilium, & variam, quam Exul expertus fuerat fortunam, indicavit, jam in sequentibus nom
tam

tam Historicum, quam Prophetam agit, ubi non humana, sed planè divina post hæc facta recitat aliquot somnia : Habuit quidem etiã duas Visiones sub Imperio Belsazaris *de quatuor Mundi Imperiis, imprimis de IV. Imperio, & parvo Cornu contra sanctos obtinente usq; ad Judiciũ, Regnoq; Altissimi sempiterno, deq; Medorum, Persarũ, Græcorumq; gravissimis bellis*; sed quia ultima imprimis ad Populũ Judaicum spectant, quæ fors eorum futura *ante & sub Romanum Imperium & adventum Messie*, etiam priora longè antecellunt. Quid enim clari9 de Messie Adventu, Passione, Sacrificiorumq; cessatione dici posset, quam quæ Gabriel Danieli de LXX. septimanis patefecit? Imo Dionysio Carthusianus in Comm. in h. l. Epistolam refert sexcentis abhinc annis scriptam esse à R. quodam Samuele ad R. Isaac, in qua factus ille fuerit, è Prophetia hac evidenter confirmari, *Messiam jam advenisse, Judeorum verò responsa admodum infirma & absurda esse*. Quomodo verò calculus de LXX. septimanis rectè instituendus sit confer omniũ instar Magnif. Dn. D. CALOVIIUM, Præceptorem ac Promotorem ætatem devenerandũ in *Disp. Theol. de LXX. Septimanis*. Reliqua somnia vivis delineant coloribus non tam *Reges Persarum Græcorumq;*, quam *ipsius Anti-Christi Occidentalis, sive Pontificis Romani summum blasphemumq;* & ad consumationem seculi usq; duraturum Regnum.

§. X. Hæc Somnia omnia vidit quidem Daniel, minimam tñ. eorũ impletionem: & licet liberatio sui Populi è captivitate ipsi fuerit perquam jucunda, maluit tamen à Patria extorris esse, ut Patriæ emolumentum promoveret, quam in Patria præsens Patriæ salutem destituere, imò satius duxit Ecclesiæ pomœria suo Ministerio extra restrictos Judææ limites propagari, quam si cum reliquis popularibus Patriæ redditus fuisset, pati ut tam commoda promovendæ Religionis occasio intermitteretur. Quam in Patriã pietatem ipsi etiam Deus longa vita cum honesto sepulchro compensavit: juxta enim Isidorum vitam ad CX. Annos provexit, juxta Pererium ad CXXXIIX. juxta Hebræos verò ad CL. mortuus verò in Babylone in quadam cavernâ Babylonis Regio Honore sepultus creditur. Et hæc de Daniele sufficiant, quibus subscribo illud Salviani: *Mens pii studii ac boni voti, etiamsi effectum non invenerit capti operis, habet tamen premium Voluntatis.*

Ung. VI 17


ULB Halle 3
002 114 550



sb

T. 17-18

1078
1077







B.I.G.

Farbkarte #13

45

tt) 49.

PHILOGICA,
 DE
ANIELIS,
 AM
 RIORUM Indultu
 nunt Examini
 SES
 S GEORGIUS
 MAIERUS,
 ONDENS
 S SUEVUS,
 VIENSES,
 DC. LXXVI.
 BERGÆ,
 NNIS WILCKII.

